S. D. N.
D. CLEMENTIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE VIII.

Pro
vniuerso Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini,

EXTENSIO

Recitandi, & celebrandi Officium, & Missam de Beato Ioanne de Sancto Facundo, in omnibus Ecclesijs Fratrum, & Monialium dicti Ordinis.



ROMAE,
Ex Typographia Cameræ Apostolicæ. M.DCIII.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

BEATORVM Virorum, qui cum CHRISTO gaudent in Cœlis, memoriam in Terris ad DEI gloriam, & piorum Christifidelium ædificationem, propagare libenter curamus, cum præsertim Catholicorum Regũ, & Piorum Principum, & aliorum fidelium vota id exposcunt, ac aliàs in Domino salubriter cõspicimus expedire. Aliàs siquidem à nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis, vz Ad perpetuam rei memoriam. Quæcumq; ad diuinum cultum, & piorum Christifidelium erga Beatos Viros pietatem,& deuotionem augendam pertinent,ea libenter concedimus, seù aliàs prouidemus, prout in Domino conspicimus expedire. Sanè postq̃ cla. me. Ferdinandus Rex Catholicus fe. re. Alexandri Papæ VI. & eiusdem Ferdinandi exemplum secutus Carolus eius nominis V. Romanorum Imperator, Paulo Papæ III., & deinde Philippus II. Hispaniarum item Rex Catholicus Pio V., Gregorio XIII., Sixto V. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac demum idem Philippus II. nobis supplicarunt, vt Beatus Ioãnes à Sancto Facundo Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Hispaniæ Regnis fidei zelo vitæ sanctimoniæ,& miraculis clarus in Sanctorum numerum adscriberetur. Charissimus in Christo filius noster Philippus III. Hispaniarum etiam Rex Catholicus, non solum Regnorum, sed paternarum etiam virtutum, ac pietatis præcipuè hæres negocium huius Canonizationis ad optatum finem perduci cupiens, sæpius per dilectum filium Nobilem Virum Antonium de Cardona, & Corduba Suessæ Ducem suum apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem,& dilecti filij Collegium Maximum, & Collegiales, ac Capellani, & personæ Sancti Bartholomęi Ciuitatis Salamantiñ nuncupat. ex cuius gremio, & ex quorum Collegialium, & Capellanorum numero, dictus Beatus Ioannes dùm viueret,fuit,per dilectum filium etiam Magistrum Andream Fernandez de Corduba Capellanum nostrum, & Sacri Palatij Apostolici Causarum Auditorem, eiusq; Collegij collegam, necnon dilecti filij Prior, & fratres Conuentus Sancti Augustini Salamantiñ, ac Prouincialis, & fratres eiusdem Ordinis Prouinciæ Castellæ per dilectum filium fratrem Aloysium de los Rios in Sacra Theologia Magistrum eiusdẽ ordinis Professorem,& ipsorum Procuratorem in Rom. Curia existentem à nobis nouissimè suppliciter petierunt, vt huic causæ iamdiù sub tot Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris inchoatæ,tandem aliquando finem imponere vellemus. Nosq; in grauissima hac deliberatione maturo, vt decet consilio vtentes, antequàm aliquid in præmissis statuamus, processum super puritate vitę,ac miraculorum veritate ipsius B. Ioannis ab Anno Mcccclxxxviij. in Ciuitate Salamantiñ factum, necnon testes super eiusdem vita,& miraculis Anno vz MDXXV. & deinde etiam MDXXXXII. pluries receptos, prius à dilectis filijs Magistris Hieronymo Pamphilio, & Io. Garzia Melino Capellanis nostris,& Sacri Palatij nostri Causarum Auditoribus diligenter recognosci,& examinari iussimus, Et habita ab ipsis Hieronymo,& Ioanne Garzia relatione, dictum processum in forma probanti confectum fuisse, & testes ritè, ac rectè examinatos fuisse comperimus de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium super Sacris ritibus deputatorum, quibus totum hoc negocium examinandum commisimus, votoq; atq; sententia pijs eiusdem Philippi precibus, ac Collegij Maximi Sancti Bartholomęi, *& illius Collegialium Capellanorum,& personarum,necnon Prioris,& fratrum Conuentus Sancti Augustini Salamantiñ, & Prouincialis, ac fratrum eiusdem Ordinis Prouinciæ Castellæ prædictorũ deuotione aliqua ex parte duximus satisfacieñ. Supplicationibus itaq; eorum nomine nobis super hoc porrectis,inclinati,ipsis Priori, & fratribus eiusdem ordinis d. Prouinciæ Castellæ, vt in eorum Ecclesia Sancti Augustini dictæ Ciuitatis Salamantiñ, in qua dictum Collegium Maximum, seù Collegiales, & Capellani, ac personæ Sancti Bartholomæi nuncupat. quolibet anno in die obitus B. Ioannis, vna cum dictis fratribus congregari, & conuenire consueuerunt & in qua similiter dicti B. Ioannis corpus quiescit, & magna cum veneratione, populiq; deuotione asseruatur, Offitium, ac Missam de Communi vnius Confess. non Pont. de dicto B. Ioanne iuxta Rubricas Breuiarij,ac Missalis Romani die scilicet xij. Mensis Iunij,in qua die licèt ipse,*

ſe B. Ioannes die xj. eiuſdem Menſis obdormiuit in Domino, ob feſtum Sancti Barnabæ Apoſtoli, quod in eundem diem xj. incidit huiuſmodi officium transfereñ duximus vna cum dictis Collegialibus Capellanis, & perſonis dicti Collegij liberè, & licitè celebrare poſſint auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinatioñ Apoſtolicis, ac eiuſdem Conuentus, & ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq;. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xix. Iunij M. DCI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo. Cum autem poſtea memoratus Philippus Rex Catholicus, vniuerſæ Ciuitatis, & Eccleſiæ Metropolitañ, & Cathedrales Regni Caſtellæ, & Legionis, ac multi Principes, & Proceres eiuſdem Regni, præcipuè verò Nobilis vir Franciſcus de Sandoual Dux Lermæ, necnon Prælati, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, & ſæculares, Collegia, Religionis, & Vniuerſitas Studij generalis Salamantiñ, & præcipuè vniuerſus Ordo fratrum Eremitarum S. Auguſtini per literas, ſupplicas, libellos, Oratoreſq; & Procuratores eorum reſpectiuè, ac nominatim per dilectum filium Nobilē Virum Antonium Sueſſæ Ducem, dicti Regis Catholici apud Nos Oratorem, & per Magiſtrum Aloyſium de los Rios Prouinciæ Caſtellæ Ordinis prædicti fratrum Eremitarum S. Auguſtini Procuratorem, nobis humiliter ſupplicari fecerint, vt Canonizationem dicti B. Ioannis de Sancto Facundo proſequi, & interim ſupradictas literas extendere, & ampliare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos illorum ſupplicationibus benignè annuere volentes, ex voto Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus, & ceremonijs deputatorum, quibus hoc negotium examinandum, & nobis referendum commiſimus, quoſq; ſingulos dilectus filius Magiſter Franciſcus Penia Capellanus noſter, & Sacri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditor, de prædicti Antonij Ducis, & Oratoris ordine, ac ſupradicti Philippi Regis Catholici nomine ſuper eodem negocio diligenter informauit, præinſertas literas ad vniuerſum ordinē fratrum Eremitarum S. Auguſtini auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus, ac eiuſdem Ordinis Fratribus, ac Monialibus vniuerſis & ſingulis vbiq; Terrarum exiſtentibus, vt ſicut vigore literarum prædictarum in Monaſterio, & Eccleſia S. Auguſtini Ciuitatis Salamantiñ illius, & Prouinciæ Caſtellæ fratribus licèt Miſſam, & Officium de dicto B. Ioanne recitare, ita in poſterum in quacumq; Domo, & Eccleſia dicti Ordinis vbiq; locorum publicè, ac priuatim eodem modo Officium, & Miſſam de dicto B. Ioanne de Sancto Facundo recitare de Communi vnius Confeſſ. non Pont. iuxta rubricas Miſſalis, & Breuiarij Romani, non tamen ſub duplici ritu (niſi vbi Corpus, vel pars inſignis Reliquiarum eiuſdem B. Ioannis extiterit) ne Dominica impediatur, cuiq; illorum liceat, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Non obſtañ omnibus illis, quæ in ſuprainſertis literis voluimus non obſtare, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq;. Volumus autem vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu Notarij publici, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ipſa fides habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur. Dat. Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die xv. Octobris. M. DCIII. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

M. Veſtrius Barbianus.